

10.221 13

DE PÓESEOS
UTILITATE,
ATQUE PRAESTANTIA
ORATIO,

QUAM IN SOLEMNI

STUDIORUM SALMANTICENSIVM

RENOVATIONE HABUIT


Stephanus Maria Ortiz Gallardo,

IURISPRUDENTIAE CIV.

DOCTOR, ET INSTITUTIONUM

PHILOSOPHICARVM MAGISTER.

ANN. MDCCCXXXVII.



SALMANTICAE:

In Officina Ioann. Vallegera, Typ. Univers.

DE PŌSESOS
UTILITATE
ATQUE PRAESTANTIA
GRATIA

QUAM IN SOLEMNI
STUDIORUM SALMANTICENSIVM
RENOVATIONE HABUIT
STEPHANUS MARRAS OTTO POLLARDI
TURISPUDENTIAE CIV.

DOCTOR ET INSTITUTIONUM
PHILOSOPHICORUM MAGISTER.

ANN. MDCCXXVII.

SALMANTICAE

In Officina Joannis Vallae Typographi.



Cogitanti mihi saepe numero, Doctores incliti, quid utile studiosae iuventuti, quid vestro subtili iudicio dignum in hac solemni laborum nostrorum renovatione essem dicturus; quamvis praeclara multa veniebant in mentem, quibus alius disertus quilibet orationem commode posset conficere; cum optarem simul nihil huc afferre nisi industria elaboratum, atque perfectum ingenio, haesitabam

lingua, et nescio quo intercepta timore vox faucibus haerebat. Cum autem me cogi ad dicendum viderem, neque aliter fas esse adimplere munus ultro in principio susceptum, optime facturum duxi, si illud tandem scriberem, vobis in presenti exponendum, ad quod natura proclivior essem.

Erit vestrum aliquis qui fortasse crediderit disserturum me de statu misero nostrae Reipublicae, deque extrema dementia quae cives omnes cepit, quaque arreptialii in alios impetum furiosum faciunt; verum non hic est animus, carissimi auditores; neque meus vobis, humanissimis viris, tam indignum facinus, tamque triste spectaculum offerre permetteret dolor.

Quapropter novum, atque ab hoc diversissimum, litterarumque humaniorum proprium assumam argumentum: nam cum saepissime audiverim permultos existere homines qui artem Pòeseos inane quiddam, ac nugatorium existiment, atque ita dictitent omnibus, intelligens probe quam sit hoc noxium, atque infestum litteris, quam Academiae nostrae, quam Patriae ipsi indecorum, quae semper tot viris floruit dilectis Apollini et Musis, statuo (in memoriam revocatis quibusdam, quae olim de hoc studio feceram, adnotationibus) evincere exemplis clarissimis, quamplurimisque rationibus "Pòesim non minus quam caeteras Artes, atque "Scientias, seu plus illis forsitam

(VI)

„Rebus publicis, universaeque huma-
nae societati profuisse.“

Loquar vobis igitur de rebus iucundissimis, de versibus, atque Pòetarum laudibus; et si illa, ut spero, attenditis qua soletis benignitate, vox mea, quae in tam frequenti litteratissimorum virorum concursu sonavit numquam, ad finem orationis pervenire poterit, atque propositum scopum dicendo attingere.



Quamvis in cognitionum huma-
 narum historia, auditores ornatissi-
 mi, quamvis in ipsis carminibus non
 tanta invenirentur testimonia, quae
 beneficia Musarum ostenderent, Pòè-
 tarumque praestantiam praedicarent,
 tamen cum sciamus omnes cuiusli-
 bet aetatis populos, omnes ubique
 gentes, tam immanes, atque barba-

(VIII)

ras, quam excultas, atque perpolitas, ita magna praemia Vatibus concessisse, ita magno obsequio, et amore eos fuisse prosecutas, ut quasi Deorum dono, atque munere sibi commendatos esse arbitrarentur; fateamur necesse est à talibus viris maximas utilitates, et maxima commoda Rebus-publicis, universoque hominum generi fuisse adducta.

In Europa antiqui Germani, duri, atque indomabiles canebant versibus arma. In Asia Sinenses, magis quam caeteris artibus, arte Pòeëseos excellere studebant; et Persis honori fuit numerum non parvum Pòëtarum habere. Quid Afros dicam, ita Musis deditos, ut his amicos summis laudibus cumularent. ?

(IX)

Rudes denique, atque inculti Americae populi duces suos rebus gestis claros, optimeque de se meritis numeris, et cantu tollebant ad sidera.

Vertite iam oculos ad Nationes, in quibus litterarum lumen maiori splendore affulxit, atque eas mecum perlustrate. Audite inter Haebros Davidem Regem dulces modulantem cantus, lyraque dicentem magna Domini mirabilia. Spiritus eius flagrans, vividissimique colores, quibus et suprema coeli, et terrae humiliora depingit, suspendunt mentem, gratissimamque animo praebent delectationem. Sermoni poetico omnia tribuenda sunt. Quis Psalmos legens, et Iob, et ex Prophetis fere omnes, talis sermonis et vim,

et venerem non demirabitur? Et quid pro carminibus, quid pro Pòèseos studio dignius, ac melius poterit proferri? Placatur versibus supremi numinis ira; et hymni, et cantica Divinitati placent: digne gloria eius, digne iustitia laudatur: merito carminibus laudem tribuendam ducimus.

AEgyptii, scientiarum inventores haud inmerito dicti, sicut in plerisque nationes cunctas antecellebant, ita in pòèticis inventionibus, cultuque Musarum illustrem fuerunt consecuti famam. Fabulae ab his reperiae, optimae plenae frugis, fictionibus miris, phantasiaeque ludis allicientes animos, vera et genuina morum praecepta docebant. Nihil maius

putandum; nihil etiam habendum
utilius quam ars, quae iocis rectos
proponit mores, dulceque sic red-
dit quod praecipit asperum, atque
severum.

Graecia, cui ingenium, cui ore
rotundo loqui concessit Apollo, cu-
pida tantum laudis, artiumque ho-
nestarum parens, et magistra, flo-
ruit adepta Vatibus decus, mag-
numque nomen; atque fama floren-
tem adhuc conspicere iuvat: scrip-
torum clarissimorum copia stipata
incedit, praeseferens alta gloriae suae
monumenta, caeterasque gentes sa-
pientiae illustrans fulgoribus.

Homerus insignis, de quo tan-
tae inter Colophonios, Chios, Sala-
minos, Smirneos, et alios extiterunt

contentiones, vir singulari ornatus
 gloria, invisus nulli, quia sicut Sol
 eplendet, cui nemo invidere potuit,
 vim artis eiusdem, atque praestan-
 tiam Pòematis duobus pene divinis
 confirmat. Politicis, et legislatoribus
 ad regendos populos, Res-publicas-
 que tuendas, atque ornandas mori-
 bus eximia praebet documenta; Phi-
 losophos, Historicosque artem scri-
 bendi docet; ipsisque Pòetis, et Ora-
 toribus ostendit, quo ducat virtus,
 quo ferre possit et error, quid ad
 sedandos, quid ad excitandos, cien-
 dosque conferat affectus.

Graecia, capta à Romanis, fe-
 ros cepit victores, Latioque agres-
 ti intulit artes, atque scientias. Post
 bella punica scimus iam otio Qui-

rités quaerere quid utile Sophocles scriberet, quid utile dicerent Schi- lus, et Thespis; et quamvis principio non multum fuerunt progressi; at postea, ut canit Horatius, « pueri, patresque severi fronde comas vinc- ti coenabant, atque dictabant car- mina » semperque Augustum iudi- cia de Virgilio, Varioque Pòetis, et concessa præmia decoraverunt, ac nobilitarunt.

Nunc, humanissimi auditores, quandoquidem tam diligenter, at- que tanta cum benevolentia atten- ditis, inspicere placet quae fuerit in- cunctis fere nationibus Pòeseos ori- go; et accurate perpensis monumen- tis omnibus, quae temporum iniu- riam non subierunt, vix ullum aliud

principium huic arti assignare poterimus, quam idem quod Lyricorum latinorum princeps assignat. Agricola prisci, contenti parvo, cum fide coniugibus, puerisque laborum sociis piabant porco Tellurem, piabant Silvanum lacte, et Genium, brevis aevi memorem, vino, floribusque: versibus, et cantu, velut sanctae Religionis signis, gratias divis propter beneficia tribuebant, atque iisdem ornabant hilares levamenti dies. Quae cum ita sint, magni nominis Scriptores non dubitarunt dicere Pòesim ex veneranda Religione esse natam, atque Pietate, tantarum virtutum filiam passim appellare gaudent.

Ita ars nostra inventa, his hu-

milibus exorsa primordiis, multum aucta postea à Sapiensibus fuit et perpolitata. Ab aratorum manibus acceperunt Philosophi, atque eam summo cum fructu ad tradendum quidquid scitu dignum, quidquid hominibus utile esset destinaverunt. Munus fuit Vatum, atque sapientia quondam homines in societate coniungere, iura conscribere recta, suadere matrimonia, Deorum cultum praecipere, praemiaque exhibere, et poenas post obitum futuras, prout recte vel prave vita esset unusquisque fruitus.

Sic honor Pòetis venit; et ea propter Orpheus Sacer, Interpretaque superum est dictus; propter eam cantu, ac cytara illum lenire rabidos

leones, et tigres ab antiquis est creditum; atque creditum etiam de Amphione movere saxa, illaque quo vellet ducere testudine.

Et re quidem vera, si genuinum huiusce hyperbolicae et allegoricae fictionis interpretamur sensum, nihil prorsus in ea à veritate alienum deprehendetur. Nam certe homines immanitate barbaros, atque more, ut ita dicam, ferarum asperam trahentes vitam ad societatem non bello, non vi, non armis; sed eloquentiae tantum potestate redigere, duritiemque eorum rationis naturalis suasionibus, consiliisque emollire, ita mirum videri omnibus putandum est, ut tale opus prodigio simile existimetur.

(XVII)

Haec beneficia quidem, quantumcumque sunt, quae sane adeo sunt magna, ut alia maiora nequeant excogitari, artificio Musarum, suavitate, et dulcedine fuisse obtenta non est inficiandum.

Sed non in primorum Poëtarum laudibus immoremur amplius; non in Orpheo celebrando, neque Amphione teramus tempus; quin potius dicamus ipsum Poëtae nomen, Creatoris scilicet, magnum quiddam ac pene divinum in se continere. Nam si verum est, quod nemo dubitat, cuiuslibet scientiae vel artis utilitatem ex eo quod vult sibi, modoque per quem ad illud tendit, atque materia in qua versatur esse censendam; cum haec in Poësi om-

(XVIII)

nia sint summa, atque eximia, ideo in eius perfectione efferenda omnibus absoluta numeris mirum non est nos tantopere oblectari.

Est inspiratio naturae Pòesis; et Vates mentis viribus excitatus, spirituque quodam quasi divino afflatus magnum quid sonat ubique. A Musarum voce secula pendent, atque gloria, ac fama non moritura viri laude digni donantur. Pòesis, amplectens quidquid existit, et amplius, mundi creati transit terminos, perque possibilia vagatur libera imaginatione et soluta; ibi novam Patriam, novas regiones invenit, quas beatas felicibus auris exhibet, incolisque fortunatis. Pòesis, dum loquitur, iucundum melos instillat auri-

(XIX)

bus, et quodcumque dicit figuris
gratis, animumque rapientibus ima-
ginibus apparet expressum; vitam
et sermonem tribuens carentibus ani-
ma, exornat omnia, redditque pul-
chriora. Aer est Iupiter tonitru tem-
pestates ciens, et fulmina iactans, pos-
tea ad nos descendens fecunda plu-
via. Sapientia est Minerva, Diva ve-
neranda; pulchritudo alma Venus,
comite Cupidine, et Risu; Venti Eo-
lus, et maria Neptunus. Non est io-
cosa vocis imago vanus sonus errans;
sed Eco, venusta Nympha, quae
amaris conqueritur fletibus, crude-
lemque vocat Narcisum. Ita super
omnia ars nostra exercet imperium,
et reficit animos, mentesque, sensus-
que delectat.

Istam delectationem, humanissimi auditores, et litteratissimi, quamvis ea ex hoc studio peteretur sola, honestissimam tamen ac liberalissimam iudicare deberetis; imo, ut vestra est prudentia, non dubito ita iudicaturos; cum vero non solum hunc tantum fructum decerpere liceat, sed uberior alius, atque maioris momenti ex Poësi percipiatur: revera, nescio certe quibus verbis, quae satis sint, huius artis studium sit extollendum, neque quo modo sicut oportet commendandum.

Non ignoro quidem, Doctores gravissimi, multos extitisse scriptores, qui in deliciis habuerunt versus effundere rerum inopes, nugae tantum canoras; quibus nihil aliud sibi pro-

ponebant, quam lectorum, auscultato-
 rumve animos dulcedine cantus re-
 laxare, mentesque aliis fessas nego-
 tiis reficere. Etiam illud adiungo, non
 paucos fuisse qui obli- officiorum
 quae Deo, quae Patriae, quae si-
 bi metipsis debebant, bellum, et proh
 dolor! sanctis iudixerunt moribus, ca-
 nentes metris pravas cupiditates, ob-
 sequio, et laudibus lascivam, ac tur-
 pem Venerem colentes, quorum no-
 xia, infensaque lectio, invisa bonis,
 ab omnibus est improbanda.
 Sed primos, licet non omnino
 reiiciendos putem, tamen, cum di-
 dicerim iam diu, dum tener essem,
 ab optimo ex Latinis Fabularum
 scriptore, "gloriam esse stultam nisi
 utile est quod facimus", parvi illos

fieri à vobis vellem! Secundos autem abominandos recta ratio Helicone excludit; Apolloque Pater, et almae Pierides, puritatis, atque virtutis amantes, de arduo vertice montis Sacri deturbant, illos pestem dicunt, atque nomen Vatum negant venerabile.

do Veluti doctus, atque solers Medicus potum miscet amarum in patera, cuius pars postrema tangenda labris sit sparsa melle, ut puerulus mala affectus valetudine minus moleste bibat, dulcedine captus, quod illi sit postea futurum saluti; sic quoque vates delectationem praebet ut improvise occupet animos, in eos dominetur et huc, vel illuc prout voluerit ferens, semper recta moneat,

semper virtutis amorem instillet, atque horrorem vitii.

Scientiæ ceteræ, quamvis sublimes, et optimæ, non tantam attulissent hominibus utilitatem, nisi Musæ illarum favissent conatibus. Scimus enim omnes post primi Parentis lapsum, inter alia plurima, quæ illustrem nostram deturparunt naturam, densissimas ignorantiae tenebras ita genus humanum occupavisse, ut illud oppresum, et caeca sepultum maneret nocte, donec excusso turpissimæ inscitiae somno non sine divina ope, artiumque, et scientiarum auxilio, aliquid veritatis percipere anima iam coepit, coepitque depellere errores. Tum res divinas docuit Theologia; naturales Physi-

ca; Ethica morales atque politicas;
 Pòesis tamen inter omnes feliciori
 exitu mentes, Iustrabat hominum;
 nam veluti qui è loco tenebroso pro-
 dit in plenam Solis lucem non po-
 test tantum splendorem sustinere ocu-
 lis, ita ingenia caligine laborantia
 multa scientiarum non sufficebant
 perspicuae claritati; et aptius Mu-
 sae, modo, luceque meliori expo-
 nebant omnia exornata imaginibus
 sensibilibus, quas facile comprehendere
 singuli poterant.

Hoc in principio fuit; sed pos-
 tea, quid non perditum invenitur
 carminibus? Scientiae ipsae etiam
 seyeriores non dedignatae sunt Pòe-
 mata; versibus Tenim non solum fi-
 gurat Vates os tenerum, balbumque,

ut creditum est, pueri; sed pectus
 etiam illius amicis format consiliis;
 refert recte facta, instruit orientia
 tempora exemplis notis, solatur ino-
 pem, solatur aerumnosum, et aegrum.
 Praeter hanc, de qua usque
 adhuc sumus locuti, Pòeseos utilita-
 tem, alia est uniuscuiusque Pòema-
 tis propria, quae, cum statim in ocu-
 los incurrat, nemo sanus erit, qui eam
 detrahere audeat. Epicum docet Prin-
 cipes artem pacis, et iustitiae servan-
 dae, atque belli gerendi quoque
 prout tempus, necessitasque postu-
 lat; illos ex ignobili, et sine nomi-
 ne excitans otio ad res clare geren-
 das inducit. Rex Magnus Alexander
 tot victorias, et triumphos ab hosti-
 bus obtinuisse dicitur, quia gloriae

cupiditate flagrans exempla magna volebat imitari, quae legens assidue Iliadem, atque Odysseam intuebatur; notum enim est haec carmina semper secum portasse, invidentem etiam in suprema potestate, et in suis honoribus maximis, Aquilei fortunam, qui Homerum suae virtutis praecoenem invenerit.

Iidem Principes uberrimum doctrinae fructum ex tragoediis quoque arripere queunt; in iis enim et ira compescitur, et ambitio, pravique omnes pectoris impetus. Sublimes Reges ex Imperiis summis delapsi ad postreman miseriam, rerumque omnium paupertatem, documenta exhibent inconstantis humanae fortunae, temporisque vicissitudinum. For-

titudo discitur ita, quae quietam rebus in arduis servat mentem, quaeque solatium semper hominibus offert.

Iisdem Pòematis aulicorum perversi mores, falaciaeque ostenduntur, quas cognoscere multum expedire Principibus nemo est qui non videat; Quantum comoediae populo! quantum omnibus Lyricorum versus poterunt prodesse! sed in re tam clara tacere potius, quam amplius loqui tempestivum censeo.

Instructus etiam Pòeta omnibus fere artibus, atque disciplinis, nulla enim sit oportet quam non ingenio suo libaverit, oratori suppeditat multa, quibus dicendi facultatem perficere, atque exornare valeat. A Vati-

bus mutuantur qui eloquentiae dant
 operam perspicuas imagines, colores
 que proprios quibus exprimere affec-
 tus necesse est, ut valide audien-
 tium corda tangantur. A nullis etiam
 nisi à Poëtis iucundum melos, et
 quidquid grate sonorum existit po-
 test usurpari. Facilimum esset in me-
 dium proferre mysticos nostros, at-
 que sacros oratores, qui iisdem fe-
 re Virgiliû, Horatiique verbis digne
 de Sacrosantis Mysteriis almae Re-
 ligionis fuerint locuti.

En alia, non parva quidem hu-
 ius studii utilitas. Quis enim du-
 bitat viros summos, atque litteratissi-
 mos attulisse ad communem caete-
 rorum fructum praestantissima scrip-
 ta plurima, quae certe non ita per-

fecta, atque lepide perpolita lucem
 umquam vidissent publicam, nisi illo-
 rum auctores auxilio Pòeseos fuis-
 sent adiuti.?

Propter haec tam praeclara in
 Rem-publicam Pòetarum merita, eos
 pene adoravit antiquitas; honoribus,
 et dignitatibus decoraverunt Princi-
 pes, ac suo amore, atque hospitio
 dignos existimaverunt. Nostrae His-
 paniae carissimae Reges incliti, qui-
 bus et rerum gestarum gloria, et
 quolibet virtutum genere nulli ante-
 cesserunt alii, pauci pares putari de-
 buerunt, non solum Pòetas muni-
 ficis omni in tempore donaverunt
 praemiis, sed etiam suae benevolen-
 tiae placuit in Vatum operibus prae-
 dicari de se, ac nominari.

In memoriâ veniunt (non de
remotis loquar saeculis) dulcia, pul-
chraque pœmata, quibus celebratum
gaudentes vidimus memorandum con-
iugium augusti nostri Ferdinandi, qui
nuper, et quidem mature, nobis de-
cessit, venustissimaeque Cristinae,
quam D. O. M. servet incolumem.
Hos Reges insignes, nec non postea
ipsorum pulcherrimam prolem, Re-
ginam Elisabet, spem gratissimam
Patriae, et eiusdem solatium, atque
delicias Pœtae cecinerunt, prae cae-
teris unus, nostra Academia educa-
tus, atque nostris his instructus dis-
ciplinis, nuncque Studiorum publi-
corum Praeses dignissimus. Princi-
pum beneficentia, erga subditos amor,
litterarum protectio, regiaeque om-

nes virtutes luculenter per Vates ante oculos apparuerunt expressae; non minus enim per Pòèsim sensus, animique exprimuntur clarorum virorum, quam vultus per aenea signa.

Quae cum ita sint, carissimi adolescentes, atque iucundissimi; cum tot sint et tantae huius artis, atque studii meritissimae laudes, in illud incumbite, varsateque diu, noctuque quidquid humaniorum litterarum nomine venit. Legite Pòètas, in quibus quarumlibet scientiarum vera principia poteritis discere non semel; saepe Philosophiam genuinam, rectaque morum praecepta; et semper numerosam orationem, locutionem urbanam, sermonem facetum, et lepidum, atque eloquentiam.

Vosque, praestantissime Rector,
 Doctissimique Magistri, in bonam
 partem accipite me ita de Pòeseos
 laudibus, atque praestantia disseruis-
 se; et quandoquidem omne, quod
 oratione hodierna tradidimus, calli-
 de cognoscitis, idem vestros docete
 discipulos, ut Brocenses, atque Leo-
 nes imitari cupientes sint forsam, si-
 cut illi fuerunt, nostrae Academiae
 decus, atque ornamentum.

DIXI.